



DE INSTITUTIONE LECTORUM
ET ACOLYTHORUM
DE ADMISSIONE INTER CANDIDATOS
AD DIACONATUM ET PRESBYTERATUM
DE SACRO CÆLIBATU AMPLECTENDO

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

DE INSTITUTIONE LECTORUM ET ACOLYTHORUM
DE ADMISSIONE INTER CANDIDATOS AD DIACONATUM ET PRESBYTERATUM
DE SACRO CÆLIBATU AMPLECTENDO

EDITIO TYPICA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII



SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 1500/72

DECRETUM

Ministeriorum disciplina a Summo Pontifice PAULO VI instaurata per Litteras Apostolicas *Ministeria quædam,* die 15 augusti 1972 Motu proprio datas, ac normis ad sacrum Diaconatus ordinem sive transeuntis sive permanentis spectantibus, eodem die statutis per Apostolicas Litteras *Ad pascendum,* Sacra Congregatio pro Cultu Divino ritus apparavit de institutione Lectorum et Acolythorum, de admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum, necnon de sacro cælibatu amplectendo.


Huiusmodi ritus Summus Pontifex Paulus VI auctoritate Sua approbavit evulgarique iussit, ita ut a die 1 ianuarii 1973 lingua latina adhibeantur, lingua autem vernacula a die quem Conferentiæ Episcopales pro sua dicione statuerint, postquam translationes in linguas populares approbaverint confirmationemque ab Apostolica Sede obtinuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 3 decembris 1972, in memoria sancti Francisci Xavier.

ARTURUS Card. TABERA
Præfectus

✠ A. BUGNINI
Archiep. tit. Diocletianen.
a Secretis



LITTERÆ APOSTOLICÆ

MOTU PROPRIO
DATÆ
QUIBUS DISCIPLINA CIRCA PRIMAM TONSURAM
ORDINES MINORES ET SUBDIACONATUM
IN ECCLESIA LATINA INNOVATUR

PAULUS PP. VI

MINISTERIA QUÆDAM ad cultum Deo rite exhibendum et ad populi Dei servitium iuxta necessitates præstandum vetustissimis iam temporibus ab Ecclesia instituta fuerunt; quibus sacræ liturgiæ et caritatis officia exercenda fidelibus committebantur, variis rerum adiunctis accommodata. Horum munerum collatio peculiari ritu sæpius fiebat, quo fidelis, benedictione Dei impetrata, ad officium aliquod ecclesiasticum adimplendum in speciali classi seu gradu constituebatur.

Nonnulla ex his muneribus, cum actione liturgica arctius conexa, præviæ institutiones ad sacros ordines recipiendos paulatim habita sunt, ita ut Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus minores ordines in Ecclesia Latina appellarentur respectu Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, qui ordines maiores vocati sunt et, etsi non ubique, iis generatim reservabantur, qui per illos ad Sacerdotium ascendebant.

Attamen cum ordines minores non semper iidem exstiterint ac plura munera ipsis adnexa reapse, sicut nunc quoque accidit, etiam a laicis exerciti sint, opportunum videtur praxim hanc recognoscere eamque hodiernis necessitatibus accommodare, ita ut ea, quæ in illis ministeriis obsoleta sint, dimittantur; quæ utilia, retineantur; si quæ necessaria, constituantur; itemque, quid a candidatis ad ordinem sacrum exigendum statuatur.

Dum Concilium Œcumenicum Vaticanum II apparabatur, haud pauci Ecclesiæ pastores preces detulerunt, ut ordines minores et Subdiaconatus recognoscerentur. Concilium autem, licet nihil de hac

re pro Ecclesia Latina decerneret, enuntiavit principia quædam, quibus aperiretur via ad quæstionem enodandam, ac dubium non est, quin normæ a Concilio latæ, generalem ordinatamque liturgiæ renovationem respicientes,[1] ea quoque complectantur, quæ ad ministeria in cœtu liturgico spectant, ita ut ex ipsa celebrationis ordinatione appareat Ecclesia in suis diversis ordinibus et ministeriis constituta.[2] Propterea Concilium Vaticanum II statuit, ut *in celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet.*[3]

Cum hac vero assertione arcte conectitur id, quod paulo ante in eadem Constitutione scriptum est: *Valde cupit Mater Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quæ ab ipsius Liturgiæ natura postulatur et ad quam populus christianus « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis »* (1 Pt 2, 9; cf. 2, 4-5), *vi Baptismatis ius habet et officium. Quæ totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.*[4]

In officiis peculiaribus servandis et ad hodiernas necessitates accommodandis, continentur ea, quæ præsertim cum ministeriis Verbi et Altaris arctius conectuntur et in Ecclesia Latina Lectoratus, Acolythatus et Subdiaconatus vocantur; quos ita servari et accommodari convenit, ut duplex ex hoc tempore habeatur munus: *Lectoris* nempe et *Acolythi,* quod et Subdiaconi partes complectatur.

Præter officia Ecclesiæ Latinæ communia, nihil obstat, quominus Conferentiæ Episcopales alia quoque petant ab Apostolica Sede, quorum institutionem in propria regione necessariam vel utilissimam, ob peculiares rationes, iudicaverint. Ad hæc pertinent ex. gr. munera *Ostiarii, Exorcistæ* et *Catechistæ,*[5] necnon alia munera iis mandanda, qui operibus caritatis sunt addicti, ubi hoc ministerium diaconibus non sit collatum.

[1] Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium,* n. 62: *A.A.S.* 56 (1964), p. 117; cf. etiam n. 21: l. c., pp. 105-106.
[2] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* n. 58.
[3] Const. *Sacrosanctum Concilium,* n. 28: *A.A.S.* 56 (1964), p. 107.
[4] *Ibid.,* n. 14: *l. c.,* p. 104.
[5] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes,* n. 15: *A.A.S.* 58 (1966), p. 965; ibid. n. 17: *l. c.,* pp. 967-968.

Congruit autem cum rei veritate et hodierno mentis habitu, ut ministeria, de quibus supra, non amplius ordines minores vocentur; eorum vero collatio non « ordinatio » sed « institutio » appelletur; clerici autem proprie ii tantum sint et habeantur, qui Diaconatum receperunt. Hac ratione melius etiam apparebit discrimen inter clericos et laicos; inter ea, quæ clericis sunt propria et reservantur, atque ea, quæ christifidelibus laicis demandari possunt; ideo apertius apparebit mutua ratio, quatenus *sacerdotium ... commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, licet essentia et non gradu tantum differant, ad invicem tamen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant.*[6]

Omnibus igitur mature perpensis, peritorum voto exquisito atque Conferentiis Episcopalibus consultis earumque sententiis attentis, necnon collatis consiliis cum Venerabilibus Fratribus Nostris membris Sacrarum Congregationum, ad quas res pertinet, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ea, quae sequuntur, derogando — si et quatenus opus sit — præscriptis Codicis Iuris Canonici hucusque vigentis, eademque hisce Litteris promulgamus.

I. Prima Tonsura non amplius confertur; ingressus vero in statum clericalem cum Diaconatu coniungitur.

II. Ordines, qui hucusque minores vocabantur, « ministeria » in posterum dicendi sunt.

III. Ministeria christifidelibus laicis committi possunt, ita ut candidatis ad sacramentum Ordinis reservata non habeantur.

IV. Ministeria in tota Ecclesia Latina servanda, hodiernis necessitatibus accommodata, duo sunt, *Lectoris* nempe et *Acolythi.* Partes, quæ hucusque Subdiacono commissæ erant, Lectori et Acolytho concreduntur, ac proinde in Ecclesia Latina ordo maior Subdiaconatus non amplius habetur. Nihil tamen obstat, quominus, ex Conferentiæ Episcopalis iudicio, Acolythus alicubi etiam Subdiaconus vocari possit.

V. Lector instituitur ad munus, quod est ei proprium, legendi in cœtu liturgico verbum Dei. Quapropter in Missa et in aliis sacris actionibus, lectiones (non autem Evangelium) e Sacra Scriptura proferat; deficiente psalmista, psalmum inter lectiones recitet; intentiones orationis universalis enuntiet, ubi diaconus vel cantor præsto non sint; cantum moderetur et populi fidelis participationem dirigat; fideles ad Sacramenta digne recipienda instituat. Poterit quoque — quatenus opus sit — præparationem curare aliorum fidelium, qui ex temporanea deputatione in actionibus liturgicis Sacram Scripturam legant. Quo

[6] Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium,* n. 10: *A.A.S.* 57 (1965), p. 14.

autem aptius atque perfectius hisce muneribus fungatur, Sacras Scripturas assidue meditetur.

Lector suscepti officii conscius, omni ope contendat atque apta subsidia adhibeat, quo plenius in dies sibi acquirat suavem et vivum Sacræ Scripturæ affectum [7] atque cognitionem, quibus perfectior fiat Domini discipulus.

VI. Acolythus instituitur, ut Diaconum adiuvet ac Sacerdoti ministret. Eius igitur est servitium altaris curare, Diacono atque Sacerdoti opitulari in liturgicis actionibus, præsertim in Missæ celebratione; eiusdem præterea, qua ministri extraordinarii, est Sanctam Communionem distribuere, quoties ministri, de quibus in can. 845 C.I.C., desunt vel propter adversam valetudinem, provectam ætatem vel aliud pastorale ministerium impediuntur aut quoties numerus fidelium ad Sacram Mensam accedentium tam ingens est, ut Missæ celebratio nimis protrahatur. Iisdem in extraordinariis adiunctis ei mandari licebit, ut SS. Eucharistiæ Sacramentum fidelium adorationi publice exponat ac postea reponat; non autem ut populo benedicat. Poterit quoque — quatenus opus sit — aliorum fidelium institutionem curare, qui ex temporanea deputatione sacerdoti vel diacono in liturgicis actionibus opitulantur, missale, crucem, cereos etc. deferendo vel alia huiusmodi officia exercendo. Quæ munera dignius exsequetur, si SS. Eucharistiam flagrantiore in dies pietate participet, de ipsa enutriatur eiusque altiorem cognitionem adipiscatur.

Acolythus, servitio altaris peculiari modo destinatus, ea omnia, quæ ad publicum cultum divinum pertinent, discat, eorumque intimum et spiritualem sensum percipere studeat, ita ut cotidie se totum offerat Deo atque omnibus gravitate et reverentia exemplo sit in templo sacro, necnon Christi corpus mysticum seu populum Dei, præsertim vero debiles et infirmos, sincero amore prosequatur.

VII. Institutio Lectoris et Acolythi, iuxta venerabilem traditionem Ecclesiæ, viris reservatur.

VIII. Ut quis ad ministeria consequenda admitti possit, requiruntur:

a) petitio ab adspirante libere exarata ac subscripta exhibenda Ordinario (Episcopo et, in institutis perfectionis clericalibus, Superiori Maiori), penes quem est acceptio;

b) congrua ætas et peculiares dotes, a Conferentia Episcopali determinandæ;

[7] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 24: *A.A.S.* 56 (1964), p. 107; Const. *Dei Verbum*, n. 25: *A.A.S.* 58 (1966), p. 829.

c) firma voluntas fideliter Deo famulandi et christiano populo serviendi.

IX. Ministeria conferuntur ab Ordinario (Episcopo et, in institutis perfectionis clericalibus, Superiore Maiore) ritu liturgico « de institutione Lectoris » et « de institutione Acolythi » a Sede Apostolica recognoscendo.

X. Interstitia, a S. Sede aut a Conferentiis Episcopalibus statuta, serventur inter collationem ministerii Lectoratus et Acolythatus, quoties eisdem personis non unum tantum confertur ministerium.

XI. Candidati ad Diaconatum et ad Sacerdotium ministeria Lectoris et Acolythi recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere debent, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris. Dispensatio a suscipiendis ministeriis pro iisdem candidatis Sanctæ Sedi reservatur.

XII. Collatio ministeriorum ius non confert ad sustentationem vel remunerationem ab Ecclesia præstandas.


XIII. Ritus institutionis Lectoris et Acolythi a competenti Romanæ Curiæ Dicasterio proxime publici iuris fiet.

Hæ normæ valere incipiunt a die 1 mensis Ianuarii, anno 1973.

Quæcumque vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum die 15 mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis B. Mariæ Virginis, anno 1972, Pontificatus Nostri decimo.

PAULUS PP. VI



LITTERÆ APOSTOLICÆ

MOTU PROPRIO DATÆ QUIBUS NONNULLÆ NORMÆ AD SACRUM DIACONATUS ORDINEM SPECTANTES STATUUNTUR

PAULUS PP. VI

AD PASCENDUM populum Dei eumque magis magisque augendum a Christo Domino varia in Ecclesia ministeria instituta sunt, totius Corporis bono conducibilia.[1]

Iam inde ab ipsa Apostolorum ætate eminet inter illa ministeria et conspicuus apparet Diaconatus, qui in Ecclesia magno semper in honore habitus est. Quod quidem expressis verbis testatur S. Paulus Apostolus sive in epistula ad Philippenses, ubi non modo Episcopis sed etiam Diaconis salutem nuntiat,[2] sive in litteris ad Timotheum datis, quibus Diaconorum illustrat dotes et virtutes pernecessarias, ut ii proprio ministerio digni comprobentur.[3]

Prisci deinde Ecclesiæ scriptores, dum prædicant Diaconorum dignitatem, non omittunt, quominus animi ornamenta ac virtutes simul extollant, quæ ad idem exsequendum ministerium postulantur, scilicet erga Christum fidelitatem, morum integritatem, Episcopo obtemperationem.

S. Ignatius Antiochenus Diaconi officium nihil aliud esse asseverat quam *ministerium Iesu Christi, qui ante sæcula apud Patrem erat et in fine apparuit,*[4] atque hæc animadvertit: *Oportet autem et Diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus*

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium,* n. 18: *A.A.S.* 57 (1965), pp. 21-22.
[2] Cf. *Phil* 1, 1.
[3] Cf. *1 Tim* 3, 8-13.
[4] *Ad Magnesios,* IV, 1: *Patres Apostolici,* ed. F. X. FUNK, I, Tubingæ 1901, p. 235.

placere. Non enim ciborum et potuum Diaconi sunt, sed ecclesiæ Dei ministri.[5]

S. Polycarpus Smyrnæus Diaconos adhortatur, ut sint *continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est.*[6] Auctor vero operis, quod *Didascalia Apostolorum* inscribitur, verba Christi commemorans: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister,*[7] fraternam hanc adhortationem Diaconis adhibet: *Ita ergo et vos Diaconos oportet facere, ut, si necessitas vos exegerit et animam pro fratre ponere per ministerium vestrum, ponatis ... Si ergo Dominus cœli et terræ nobis serviit et omnia passus est propter nos et sustinuit, quomodo non magis nos oportet hoc facere pro fratribus, quia imitatores eius sumus et locum Christi sortiti?* [8]

Præterea priorum sæculorum auctores, dum ministerii Diaconorum momentum animis inculcant, copiose etiam explicant multiplicia et gravia munera iis concredita, atque aperte declarant, quantum auctoritatis apud christianas communitates consecuti sint et quantopere ad apostolatum contulerint. Definitur Diaconus ut *Episcopi auris et os et cor et anima.*[9] Episcopo Diaconus præsto est, ut omni deserviat populo Dei curamque gerat infirmorum atque inopum;[10] recte igitur ac merito eum appellant *amatorem orphanorum, amatorem colentium pietatem, amatorem viduarum, ferventem spiritu, amatorem bonarum rerum.*[11] Officium insuper ei mandatur, ut ægris domi decumbentibus sacram Eucharistiam deferat,[12] baptismum conferat,[13] verbo Dei prædicando det operam ad voluntatem nutumque Episcopi.

Itaque Diaconatus in Ecclesia mirabiliter effloruit simulque insigne præbuit testimonium amoris erga Christum ac fratres in caritatis

[5] *Ad Trallianos,* II, 3: *Patres Apostolici,* ed. F. X. FUNK, I, Tubingæ 1901, p. 245.

[6] *Epist. ad Philippenses,* V, 2: *Patres Apostolici,* ed. F. X. FUNK, I, Tubingæ 1901, pp. 301-303.

[7] *Mt* 20, 26-27.

[8] *Didascalia Apostolorum,* III, 13, 2-4: *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* ed. F. X. FUNK, I, Paderbornæ 1906, p. 214.

[9] *Didascalia Apostolorum,* II, 44, 4: ed. F. X. FUNK, I, Paderbornæ 1906, p. 138.

[10] Cf. *Traditio Apostolica,* 39 et 34: *La Tradition Apostolique de Saint Hippolyte. Essai de reconstitution* par B. BOTTE, Münster 1963, pp. 87 et 81.

[11] *Testamentum D. N. Iesu Christi,* I, 38: ed. et latine redd. I. E. RAHMANI, Moguntiæ 1899, p. 93.

[12] Cf. S. IUSTINI *Apologia* I, 65, 5 et 67, 5: S. IUSTINI *Apologiæ duæ;* ed. G. RAUSCHEN, Bonnæ 1911², pp. 107 et 111.

[13] Cf. TERTULLIANUS, *De Baptismo,* XVII, 1: *Corpus Christianorum,* I, *Tertulliani Opera,* pars I, Turnholti 1954, p. 291.

operibus exsequendis,[14] in ritibus sacris celebrandis [15] atque in pastoralibus perfungendis muneribus.[16]

Diaconali autem officio exercendo, qui presbyteri futuri erant, illud sui experimentum ac laborum merita præbebant atque eam præparationem acquirebant, quæ ad sacerdotalem honorem ac pastorale officium consequendum expetebantur.

Progredientibus vero ætatibus disciplina ad hunc spectans ordinem sacrum immutata est. Firmius quidem factum est vetitum ordinationes *per saltum* conferendi, at paulatim decrevit eorum numerus, qui per omnem vitam mallent diaconi permanere quam altius ascendere. Ita factum est, ut in Ecclesia Latina pæne evanuerit Diaconatus permanens. Vix commemorare attinet ea, quæ Tridentinum Concilium decrevit, cum sibi proposuisset ordines sacros secundum propriam eorum naturam redintegrare ut munia pristina in Ecclesia;[17] multo tamen serius mens maturuit, ut hic magni momenti ordo sacer etiam tamquam gradus vere permanens restitueretur. Rem celeriter attigit etiam Decessor Noster fel. rec. Pius XII.[18] Concilium denique Vaticanum II optatis et precibus suffragatum est, ut Diaconatus permanens, ubi id animarum bono conduceret, instauraretur veluti medius ordo inter superiores ecclesiasticæ hierarchiæ gradus et reliquum populum Dei, quasi interpres necessitatum ac votorum christianarum communitatum, instimulator famulatus seu *diaconiæ* Ecclesiæ apud locales christianas communitates, signum vel sacramentum ipsius Christi Domini, qui *non venit ministrari, sed ministrare.*[19]

Quapropter tertia in Concilii sessione, mense Octobri anno 1964 habita, ratum habuerunt Patres principium renovationis Diaconatus, atque insequenti mense Novembri promulgata est Constitutio Dogmatica *Lumen Gentium,* cuius articulo 29 præcipua lineamenta illius status propria describuntur: *In gradu inferiori hierarchiæ sistunt Diaconi, quibus « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in Diaconia liturgiæ, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt.*[20]

[14] Cf. *Didascalia Apostolorum,* II, 31, 2: ed. F. X. FUNK, I, Paderbornæ 1906, p. 112; cf. *Testamentum D. N. Iesu Christi,* I, 31: ed. et latine redd. I. E. RAHMANI, Moguntiæ 1899, p. 75.

[15] Cf. *Didascalia Apostolorum,* II, 57, 6; 58, 1: ed. F. X. FUNK, I, Paderbornæ 1906, pp. 162 et 166.

[16] Cf. S. CYPRIANI *Epistolæ* XV et XVI: ed. G. HARTEL, Vindobonæ 1871, pp. 513-520; cf. S. AUGUSTINUS, *De catechizandis rudibus,* I, cap. I, 1: *PL* 40, 309-310.

[17] Sessio XXIII, capp. I-IV: Mansi, XXXIII, col. 138-140.

[18] *Allocutio ad eos qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe pro Laicorum Apostolatu* Romæ habita, die 5 octobris anno 1957: *A.A.S.* 49 (1957), p. 925.

[19] Cf. *Mt* 20, 28.

[20] *A.A.S.* 57 (1965), p. 36.

De stabilitate vero in diaconali gradu, eadem Constitutio hæc declarat: *Cum vero hæc [Diaconorum] munera, ad vitam Ecclesiæ summopere necessaria, in disciplina Ecclesiæ Latinæ hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiæ restitui poterit.*[21]

Restitutio autem hæc permanentis Diaconatus postulabat, ut Concilii mandata altius pervestigarentur atque ut mature deliberaretur de iuridica condicione Diaconi, tam cælibis quam matrimonio iuncti. Simul vero necesse erat, ut ea, quæ ad Diaconatum eorum, qui Sacerdotes futuri sunt, spectant, ad hodiernas condiciones aptarentur, ut revera Diaconatus exercitium eam præberet probationem vitæ, maturitatis atque ad sacerdotale ministerium aptitudinis, quam vetus disciplina a candidatis ad Presbyteratum postulabat.

Quam ob rem Apostolicas Litteras, motu proprio datas, a verbis incipientes *Sacrum Diaconatus Ordinem,* die 18 mensis Iunii anno 1967 edidimus, quibus congruentes normæ canonicæ de Diaconatu permanenti statutæ sunt.[22] Die autem 17 Iunii anno sequenti, per Constitutionem Apostolicam *Pontificalis Romani Recognitio,*[23] novum ritum sanximus conferendorum ordinum sacrorum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, materia ac forma ipsius ordinationis simul definitis.

Nunc autem, dum, ulterius procedentes, hoc ipso die Apostolicas Litteras, a verbis *Ministeria quædam* incipientes, promulgamus, expedire arbitramur certas edere normas circa Diaconatum; itemque volumus, ut candidati ad Diaconatum noscant, quæ ministeria ipsi exercere debeant ante sacram ordinationem, necnon quo tempore et qua ratione onera cælibatus et precationis liturgicæ sibi assumenda sint.

Cum vero ingressus in statum clericalem ad Diaconatum differatur, non amplius habetur ritus primæ tonsuræ, quo laicus fiebat clericus. Attamen novus ritus inducitur, quo is, qui ad Diaconatum vel Presbyteratum adspirat, publice manifestat suam voluntatem se Deo et Ecclesiæ offerendi, ut sacrum ordinem exerceat; Ecclesia vero, hanc oblationem accipiens, eum eligit et vocat, ut ad sacrum ordinem recipiendum se præparet, et hac ratione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum rite cooptetur.

Peculiari autem ratione convenit, ut ministeria Lectoris et Acolythi committantur iis, qui ut candidati ad ordinem sacrum specialiter se Deo et Ecclesiæ devovere cupiunt. Ecclesiæ enim, quippe quæ *non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem*

[21] *Ibid.*
[22] *A.A.S.* 59 (1967), pp. 697-704.
[23] *A.A.S.* 60 (1968), pp. 369-373.

vitæ sumere atque fidelibus porrigere,[24] valde opportunum existimat, ut sacrorum ordinum candidati tum studio tum exercitio, quod gradatim fiat, ministerii Verbi et Altaris, duplicem hunc sacerdotalis muneris aspectum familiari consuetudine perspiciant atque meditentur. Ex quo fit, ut veritas ministerii maxima eniteat efficacitate. Candidati, enim, ad sacros ordines accedant, suæ vocationis plane conscii, *spiritu ferventes, Domino servientes ... orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes.*[25]

Omnibus igitur mature perpensis, peritorum voto exquisito atque Conferentiis Episcopalibus consultis earumque sententiis attentis, necnon collatis consiliis cum Venerabilibus Fratribus Nostris membris Sacrarum Congregationum, ad quas pertinet, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ea, quæ sequuntur, derogando — si et quatenus opus sit — præscriptis Codicis Iuris Canonici hucusque vigentis, eademque hisce Litteris promulgamus.

I. *a*) Ritus inducitur admissionis inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum. Ad quam admissionem rite habendam requiritur libera adspirantis petitio, propria manu exarata ac subscripta, necnon competentis Superioris ecclesiastici acceptio scripto data, vi cuius Ecclesiæ electio efficitur.

Professi in religionibus clericalibus, ad Presbyteratum contendentes, hoc ritu non tenentur.

b) Superior competens pro hac acceptione est Ordinarius (Episcopus et, in clericalibus institutis perfectionis, Superior Maior). Acceptari possunt ii, qui signa veræ vocationis præbeant, atque, bonis moribus ornati et, a mentis corporisque defectibus immunes, vitam suam Ecclesiæ servitio dicare velint ad Dei gloriam animarumque bonum. Oportet, ut, qui ad Diaconatum transeuntem adspirant, vigesimum saltem ætatis annum expleverint et studiorum theologicorum curriculum cœperint.

c) Vi acceptionis candidatus vocationem suam peculiari modo curare altiusque excolere debet; atque ius acquirit ad necessaria subsidia spiritualia, quibus vocationem suam colere atque Dei voluntati, nulla condicione apposita, obtemperare possit.

II. Candidati ad Diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, et ad Presbyteratum ministeria Lectoris et Acolythi debent recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris.

[24] Conc. Vat. II, Const. *Dei Verbum,* n. 21: *A.A.S.* 58 (1966), p. 827.
[25] *Rom* 12, 11-13.

Dispensatio a recipiendis ministeriis pro iisdem candidatis Sanctæ Sedi reservatur.

III. Ritus liturgici, quibus fit admissio inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum ac ministeria supra memorata demandantur, peragi debent ab Ordinario (Episcopo et, in clericalibus institutis perfectionis, Superiore Maiore) adspirantis.

IV. Interstitia a S. Sede vel a Conferentiis Episcopalibus statuta, serventur inter collationem — per curriculum theologicum habendam — ministeriorum Lectoratus et Acolythatus, necnon inter collationem Acolythatus et Diaconatus.

V. Candidati ad Diaconatum, ante ordinationem, Ordinario (Episcopo et, in clericalibus institutis perfectionis, Superiori Maiori) tradant declarationem propria manu exaratam et subscriptam, qua testificentur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturos esse.

VI. Consecratio propria cælibatus, propter Regnum cælorum servati, huiusque obligatio pro candidatis ad Sacerdotium et pro candidatis non uxoratis ad Diaconatum reapse conectuntur cum Diaconatu. Publica ipsius sacri cælibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebranda est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem præcedat. Cælibatus hoc modo assumptus impedimentum dirimens est ad nuptias ineundas.
Diaconi quoque uxorati, amissa uxore, ex tradita Ecclesiæ disciplina ad novum matrimonium ineundum inhabiles sunt.[26]

VII. *a*) Diaconi ad Presbyteratum vocati ne ordinentur nisi prius expleverint studiorum curriculum, Apostolicæ Sedis præscriptionibus definitum.

b) Quod spectat ad theologicorum studiorum cursum, ordinationi Diaconorum permanentium præponendum, Episcoporum Conferentiæ, attentis locorum adiunctis, congruas normas tradant easque Sacræ Congregationis pro Institutione Catholica approbationi subiciant.

VIII. Ad normam nn. 29-30 Institutionis generalis de Liturgia Horarum:

a) Diaconi ad Presbyteratum vocati ex ipsa sacra ordinatione obstringuntur obligatione Liturgiam Horarum celebrandi;

b) maxime decet stabiles Diaconos aliquam saltem partem Liturgiæ Horarum, ab Episcopali Conferentia definiendam, cotidie recitare.

[26] Cf. PAULUS VI, Litt. Apost. motu proprio datæ *Sacrum Diaconatus Ordinem*, n. 16: *A.A.S.* 59 (1967), p. 701.

IX. Ingressus in statum clericalem et incardinatio alicui diœcesi ipsa ordinatione Diaconali habentur.

X. Ritus admissionis inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum necnon consecrationis propriæ sacri cælibatus a competenti Romanæ Curiæ Dicasterio proxime iuris publici fiet.

Norma transitoria. — Candidati ad sacramentum Ordinis, qui ante promulgationem harum Litterarum Primam Tonsuram iam receperunt, omnia officia, iura et privilegia clericorum propria retinent; qui vero ad ordinem Subdiaconatus sunt promoti, susceptis obligationibus sive circa cælibatum sive circa Liturgiam Horarum tenentur; at publicam sacri cælibatus assumptionem coram Deo et Ecclesia, novo speciali ritu, qui ordinationem Diaconalem præcedit, iterum celebrare debent.

Quæcumque vero a Nobis per has Litteras, motu proprio datas, decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis nihil obstantibus. Statuimus autem, ut ea vigere incipiant a die 1 mensis Ianuarii, anno 1973.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 15 mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis B. Mariæ Virginis, anno 1972, Pontificatus Nostri decimo.

PAULUS PP. VI

Caput I

DE INSTITUTIONE LECTORUM

Prænotanda

1. Institutio Lectorum fit ab Episcopo aut a Superiore maiore clericalis Instituti religiosi, vel intra Missam, vel in celebratione verbi Dei.

2. Lectiones sumuntur, sive ex toto sive ex parte, e liturgia diei vel ex iis quæ infra, pp. 31-32, proponuntur.

De institutione Lectorum

3. Dicto Evangelio, Episcopus in sede parata sedet cum mitra. Diaconus vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens:

Accédant qui instituéndi sunt in ministério Lectórum.

Candidati nominatim vocantur. Singuli autem respondent:

Adsum,

et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt.

4. Tunc, omnibus sedentibus, Episcopus homiliam habet, quam his vel similibus verbis concludit, candidatos ipsos alloquens:

Fílii caríssimi,

Mystérium salútis Deus Pater revelávit et implévit per Fílium suum, hóminem factum, Iesum Christum, qui, postquam ómnia nobis enarrávit, Ecclésiæ suæ munus concrédidit Evangélium prædicándi univérsæ creatúræ.

Lectóres seu verbi Dei relatóres effécti, adiutórium huic múneri præstábitis, et proínde peculiáre offícium in pópulo Dei suscipiétis, et servítio fídei, quæ in verbo Dei radicátur,

deputabímini. Verbum enim Dei in cœtu litúrgico proferétis, púeros et adúltos in fide et ad Sacraménta digne recipiénda instituétis, nuntiúmque salútis homínibus, qui adhuc illud ignórant, annuntiábitis. Hac via et vestro auxílio, hómines ad cognitiónem Dei Patris Filiíque eius, Iesu Christi, quem ipse misit, perveníre póterunt et vitam ássequi ætérnam.

Cum vero áliis verbum divínum annuntiábitis, Spirítui Sancto dóciles et ipsi illud suscípite, séduli meditémini, ut suávem ac vivum eius affféctum plénius in dies vobis acquirátis; conversatióne autem vestra manifestáte Salvatórem nostrum Iesum Christum.

5. Homilia expleta, omnes surgunt. Episcopus, sine mitra, fideles ad orandum invitat, dicens:

Deum Patrem, fratres caríssimi,
supplíciter deprecémur,
ut hos fámulos suos, ad ministérium Lectórum eléctos,
benedícere dignétur,
quátenus, múnere sibi crédito sédulo fungéntes,
Christum annuntiántes,
glorífícent Patrem qui in cælis est.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

6. Deinde Episcopus prosequitur:

Deus, fons omnis lúminis et bonitátis,
qui Unigénitum tuum, Verbum vitæ, misísti,
ut dilectiónis tuæ mystérium homínibus reveláret,
hos fratres nostros, ad ministérium Lectórum eléctos,
benedícere ✠ dignéris.
Præsta ut, verbum tuum iúgiter meditántes,
et eo váleant erudíri
et frátribus id fidéliter annuntiáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

7. Singuli candidati ad Episcopum accedunt, qui illis tradit librum sacræ Scripturæ, dicens:

Accipe librum sacræ Scriptúræ et verbum Dei fidéliter trade, quo magis in córdibus hóminum vigéscat.

Lector respondet:

Amen.

Interim, præsertim si multi sunt candidati, cani potest psalmus 18 vel alius cantus aptus.

8. Si institutio Lectorum celebratur intra Missam, hæc continuatur de more. Si vero institutio Lectorum cum celebratione verbi coniungitur, Episcopus cœtum congregatum benedicit et dimittit, more solito.

Caput II

DE INSTITUTIONE ACOLYTHORUM

Prænotanda

1. Institutio Acolythorum fit ab Episcopo aut a Superiore maiore clericalis Instituti religiosi, intra Missam.

2. Lectiones sumuntur, sive ex toto sive ex parte, e liturgia diei vel ex iis quæ infra, pp. 33-35, proponuntur.

De institutione Acolythorum

3. Dicto Evangelio, Episcopus in sede parata sedet cum mitra. Diaconus, vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens:

Accédant qui instituéndi sunt in ministério Acolythórum.

Candidati nominatim vocantur. Singuli autem respondent:

Adsum,

et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt.

4. Tunc, omnibus sedentibus, Episcopus homiliam habet, quam his vel similibus verbis concludit, candidatos ipsos alloquens:

Fílii caríssimi,

Ad ministérium Acolythórum elécti, peculiári modo partem habébitis in ministério Ecclésiæ, cuius vitæ culmen et fons est Eucharístia, qua pópulus Dei ædificátur et crescit. Vobis enim commíttitur ut presbýteris ac diáconis, in ipsórum múnere exsequéndo, sitis adiutório, ac sacram Communiónem fidélibus, étiam infírmis, ut minístri extraordinárii, distribuátis. Huic ministério peculiári modo destináti, curétis ex

domínico sacrifício impénsius vívere eíque perféctius conformári; eórum autem quæ ágitis íntimum ac spiritálem sensum percípere studeátis, ita ut cotídie vos offerátis Deo in spiritáles oblatiónes ipsi acceptábiles per Iesum Christum.

Hæc faciéntes, meminísse iuvábit vos, sicut de uno pane cum vestris frátribus participétis, unum cum ipsis corpus effícere. Corpus ergo Christi mýsticum seu pópulum Dei, præsértim vero débiles et infirmos, sincéro amóre prosequámini et Dómini mandáto conformémini, quod in cena novíssima suis dedit Apóstolis: « Dilígite altérutrum, sicut et ego diléxi vos ».

5. Homilia expleta, omnes surgunt. Episcopus, sine mitra, fideles ad orandum invitat, dicens:

Dóminum, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut, quos ad ministérium Acolythórum elégit,
sua benedictióne replére dignétur,
et ad fidéliter ministrándum in Ecclésia sua confírmet.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

6. Deinde Episcopus prosequitur:

Clementíssime Deus,
qui per Unigénitum Fílium tuum
panem vitæ Ecclésiæ tuæ commisísti,
benedícere ✠ dignéris hos fratres nostros
ad ministérium Acolythórum eléctos,
et præsta, ut sanctis altáribus sint assídui,
panem vitæ frátribus suis fidéliter distríbuant,
ac fide et caritáte iúgiter crescant
in ædificatiónem Ecclésiæ tuæ.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

7. Singuli candidati ad Episcopum accedunt, qui illis tradit vasculum cum pane vel cum vino consecrando, dicens:

Accipe vásculum cum pane (vel: cum vino)
pro celebratióne Eucharístiæ,
et talis esto
ut mensæ Dómini et Ecclésiæ,
digne váleas servíre.

Acolythus respondet:

Amen.

8. Acolythi vel, si plures sunt, aliqui ex ipsis, in præparatione donorum offerunt patenas cum pane et calicem cum vino.

9. Acolythi communionem recipiunt statim post diaconos.

10. Episcopus mandare potest ut Acolythus, qui factus est minister extraordinarius Eucharistiæ, auxilium præstet, in Missa institutionis, ad sacram Communionem fidelibus distribuendam.

Caput III

DE ADMISSIONE INTER CANDIDATOS AD DIACONATUM ET PRESBYTERATUM

Prænotanda

1. Ritus admissionis inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum celebratur, cum adspirantium propositum, necessariis dotibus suffultum, ad sufficientem maturitatem pervenisse constat.
Professi in religionibus clericalibus hoc ritu non tenentur.

2. Propositum Ordinis sacri suscipiendi publice est ab adspirantibus manifestandum; Episcopus vero, vel Superior maior clericalis Instituti religiosi idem propositum publice acceptat.

3. Admissio celebrari potest qualibet die, praesertim vero diebus festivis, in ecclesia aut alio loco apto, aut intra Missam aut in celebratione verbi Dei. Propter suam indolem numquam cum sacris Ordinibus vel institutione Lectorum aut Acolythorum coniungitur.

4. Lectiones sumuntur, sive ex toto sive ex parte, e liturgia diei vel ex iis quæ infra, pp. 36-37, proponuntur.

De celebratione admissionis

5. Dicto Evangelio, Episcopus in sede parata sedet cum mitra et homiliam habet, quam his vel similibus verbis concludit:

Fratres dilectíssimi,

Hi fratres nostri, qui in fácie Ecclésiæ hódie consístunt, ut admittántur inter candidátos ad Ordinem sacrum nobis et vobis commendándi sunt.

Christus præcépit: « Rogáte Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ». Sollicitúdinem ergo Dómini pro grege suo cognoscéntes et necessitátem Ecclésiæ considerántes, parátos se séntiunt Dómino vocánti generóse respondére cum prophéta: « Ecce ego, mitte me », ipsi Dó-

mino confísi, in quo spem ponunt fore ut vocatióni suæ fidéles evádant.

Vox autem Dómini vocántis ex signis intellegénda et diiudicánda est, quibus cotídie volúntas Dei prudéntibus homínibus innotéscit. Quos vero ad Christi sacerdótium hierárchicum participándum divínitus éligit, Dóminus sua grátia movet et ádiuvat, dum nobis commíttit ut, idoneitáte ágnita, candidátos comprobátos vocémus et singulári Sancti Spíritus sigíllo Dei et Ecclésiæ ministério consecrémus. Ordine enim sacro ad id deputabúntur, ut munus Christi salvíficum, quod ille in mundo explévit, et ipsi prosequántur. Ministério ergo nostro, suo témpore, sociáti, Ecclésiæ desérvient, et communitátes christiánas ad quas mitténtur verbo et Sacraméntis ædificábunt.

Ideóque hic adstántes fratres nostri, ut aliquándo a suo Epíscopo vocári possint, institutiónem suam iam cœpérunt, qua in dies discant secúndum formam Evangélii vívere; in fide, spe et caritáte firmári; atque in eárum exercítio spíritum oratiónis sibi acquírant et in zelo omnes hómines Christo lucrifaciéndi crescant.

Nunc vero, amóre Christi compúlsi et íntima operatióne Spíritus Sancti roboráti, ad hoc pervenérunt, ut Dei hominúmque servítio se mancipándi desidérium palam maniféstent.

Cum ígitur nominátim appellabúntur, huc accédant et propósitum suum coram Ecclésia profiteántur.

6. Diaconus vel presbyter ad hoc deputatus adspirantes nominatim vocat. Singuli autem respondent:

Adsum,

et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt.

7. Tunc Episcopus eos alloquitur, his verbis usus, vel aliis a Conferentia Episcopali, pro opportunitate, statutis:

Fílii caríssimi,

Pastóres et magístri, qui vobis instituéndis præpósiti sunt,

et quotquot vos faténtur agnóscere, bonum testimónium de vobis reddidérunt, cui plene confídimus.

Vultis, vocatióni Dómini respondéntes, præparatiónem vestram ita perfícere, ut apti efficiámini ad ministérium in Ecclésia, per Ordinem sacrum, suo témpore, suscipiéndum?

Adspirantes, omnes simul, respondent:

Volo.

Episcopus:

Vultis ánimum vestrum ita formáre, ut Christo Dómino eiúsque Córpori, quod est Ecclésia, valeátis fidéliter deservíre?

Adspirantes:

Volo.

Si placet, propositum candidatorum ab Episcopo accipi potest modo a Conferentia Episcopali statuto.

Episcopus subiungit:

Cum gáudio Ecclésia súscipit propósitum vestrum. Quod Deus in vobis cœpit, ipse perfíciat.

Omnes:

Amen.

8. Tunc omnes surgunt et Episcopus, sine mitra, fideles ad orandum invitat:

Deum ac Dóminum nostrum,
fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut super hos fámulos suos,
qui Ecclésiæ ministério se cúpiunt devovére,
benedictiónis suæ grátiam dignánter effúndat.

9. Diaconus vero aut alius minister idoneus has vel alias intentiones circumstantiæ magis aptas proponit, congrua acclamatione, ex. gr. Te rogámus, audi nos, omnibus respondentibus:

— Ut hi fratres nostri Christo árctius adhǽreant, et testes eius inter hómines váleant exsístere, Dóminum precémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut hóminum sollicitúdines portáre, et vocem Spíritus Sancti váleant semper audíre, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.
— Ut minístri Ecclésiæ efficiántur, qui fratres suos verbo et exémplo in fide confírment et ad participándam Eucharístiam cóngregent, Dóminum precémur.
℟. Te rogámus, audi nos.

10. Deinde Episcopus prosequitur:
Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et hos fílios, qui tuo famulátui
populíque tui servítio
in ministério sacro devovére se cúpiunt,
benedícere ✠ tua pietáte dignáre,
ut in vocatióne persevérent
et, Christo sacerdóti sincéra caritáte adhæréntes,
munus apostólicum digne váleant suscípere.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

vel:

Fámulis tuis, quǽsumus, Dómine, dignánter concéde,
ut dilectiónis tuæ mystérium
plénius in dies agnóscant et prosequántur.
Præsta, ut sacro ministério in Ecclésia exercéndo
ánimo volénti se prǽparent,
ut, spíritu caritátis tuæ imbúti,
fratrum salúti
ad glóriam tui nóminis libénter insérviant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

11. Si admissio celebratur intra Missam, hæc continuatur de more. Si vero cum celebratione verbi coniungitur, Episcopus cœtum congregatum benedicit et dimittit, more solito.

CAPUT IV

DE SACRO CÆLIBATU AMPLECTENDO

1. Publica cælibatus assumptio a candidatis ad Presbyteratum et a candidatis non uxoratis ad Diaconatum, etiam religiosis, fieri debet priusquam ad ritum Ordinationis Diaconorum procedatur.

2. Fit appellatio Electorum eorumque praesentatio, ut in Pontificali Romano, nn. 9-13.

3. Deinde, omnibus sedentibus, Episcopus homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum sacrarum quæ in Missa lectæ sunt, populum et Electos alloquitur de munere Diaconi et de momento atque significatione sacri cælibatus in Ecclesia (cf. Pontificale Romanum, n. 14).

4. Homilia expleta, Electi qui debent propositum sacri cælibatus assumendi manifestare surgunt, et coram Episcopo consistunt, qui eos alloquitur his vel similibus verbis:

Fílii caríssimi,

Ad Ordinem Diaconátus líbere accédere vultis. Ministérium vestrum, in cælibátu constitúti, exercébitis: est enim signum simul et stímulus caritátis pastorális atque peculiáris fons fecunditátis in mundo. Sincéra enim erga Christum Dóminum caritáte compúlsi et perfécta devotióne in hoc statu vivéntes, novo et exímio modo Christo consecrámini, ei facílius indivíso corde adhærébitis, Dei et hóminum servítio libérius vacábitis et óperi regeneratiónis supérnæ expedítius ministrábitis. Hac ratióne, móribus et vita frátribus indício éritis Deum esse super ómnia diligéndum, ipsíque præ ómnibus et in ómnibus serviéndum.

Proinde:

Vultis, coram Dómino et Ecclésia, in signum ánimi vestri Christo Dómino déditi, cælibátum propter regnum cælórum in Dei hominúmque servítio perpétuo custodíre?

Electi respondent:

Volo.

Si placet, propositum candidatorum manifestari potest etiam forma aliqua externa a Conferentia Episcopali statuta.

Episcopus subiungit:

Det vobis Dóminus in sancto propósito perseveráre.

Electi respondent:

Amen.

5. Accedunt deinde alii Electi ad Diaconatum, qui obligatione propositum sacri cælibatus assumendi non tenentur.
Et ea omnia peraguntur quae in Pontificali Romano pro Ordinatione Diaconorum notantur a n. 15.

Post tertiam interrogationem, additur:

Vultis spíritum oratiónis modo vestro vivéndi próprium custodíre et augére, et in hoc spíritu Liturgíam Horárum, iuxta condiciónem vestram, pro Ecclésia, immo pro univérso mundo, fidéliter implére?

℟. Volo.

Sequitur deinde textus Pontificalis: Vultis conversatiónem vestram ...

CAPUT V

LECTIONES BIBLICÆ

I.

Pro institutione Lectorum

LECTIONES E VETERE TESTAMENTO

1. Deut 6, 3-9: « Eruntque verba hæc in corde tuo ».
Audi Israel, et observa ...

2. Deut 30, 10-14: « Iuxta te est sermo, ut facias illum ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo dicens ...

3. Is 55, 10-11: « Imber terram germinare facit ».
Hæc dicit Dominus: Quomodo descendit imber ...

4. Neh 8, 1-4a. 5-6. 8-10: « Legerunt in libro legis, et intellexerunt cum legeretur ».
In diebus illis: Attulit Esdras sacerdos legem ...

LECTIONES E NOVO TESTAMENTO

5. 1 Cor 2, 1-5: « Annuntiavi vobis mysterium Dei ».
Ego cum venissem ad vos, fratres, ...

6. 2 Tim 3, 14-17: « Omnis Scriptura divinitus inspirata est et utilis ad docendum ».
Carissime: Permane in his quæ didicisti ...

7. 2 Tim 4, 1-5: « Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple ».
Carissime: Testificor coram Deo ...

8. Hebr 4, 12-13: « Sermo Dei discretor cogitationum et intentionum cordis ».
Vivus est Dei sermo ...

9. 1 Io 1, 1-4: « Quod vidimus et audivimus, annuntiamus et vobis ».
Carissimi: Quod fuit ab initio ...

Psalmi responsorii

10. Ps 18, 8. 9. 10. 11.
℞. (cf. Io 6, 64b): Verba tua, Domine, spiritus et vita sunt.

11. Ps 118, 9. 10. 11. 12.
℞. (12b): Doce me, Domine, iustificationes tuas.

12. Ps 147, 15-16. 17-18. 19-20.
℞. (12): Lauda, Ierusalem, Dominum.

Alleluia et Versus ante Evangelium

13. Io 6, 64b et 69b: Verba tua, Domine, spiritus et vita:
verba vitæ æternæ habes.

14. Cf. Act 16, 14b: Aperi, Domine, cor nostrum,
ut intendamus verbis Filii tui.

15. Semen est verbum Dei, sator autem Christus;
omnis qui invenit eum, manebit in æternum.

16. Cf. Lc 4, 18: Spiritus Domini super me;
evangelizare pauperibus misit me.

Evangelia

17. Mt 5, 14-19: « Vos estis lux mundi ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis lux mundi ...

18. Mc 1, 35-39: « Et venit prædicans in synagogis eorum ».
Diluculo valde mane surgens Iesus ...

19. Lc 4, 16-21: « Spiritus Domini super me ».
In illo tempore: Venit Iesus Nazareth ...

20. Lc 24, 44-48: « Mittit Iesus apostolos prædicare pænitentiam in remissionem peccatorum ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hæc sunt verba ...

21. Io 7, 14-18: « Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me ».
Die festo mediante, ascendit Iesus ...

II.

Pro institutione Acolythorum

Lectiones e Vetere Testamento

1. Gen 14, 18-20: « Panem et vinum obtulit ».
In diebus illis: Melchisedech rex Salem ...

2. Ex 16, 2-4. 12-15: « Ego pluam vobis panem de cælo ».
In diebus illis: Murmuravit omnis congregatio ...

3. Ex 24, 3-8: « Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum ».
In diebus illis: Venit Moyses, et narravit ...

4. Deut 8, 2-3. 14b-16a: « Dedit tibi cibum, quod ignorabas tu et patres tui ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo, dicens ...

5. 1 Reg 19, 4-8: « Ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei ».
In diebus illis: Perrexit Elias in desertum viam unius diei ...

6. Prov 9, 1-6: « Comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis ».
Sapientia ædificavit sibi domum ...

Lectiones e Novo Testamento

7. Act 2, 42-47: « Erant perseverantes in communicatione, in fractione panis ».
In diebus illis: Erant discipuli perseverantes ...

8. Act 10, 34a. 37-43: « Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis ».
In diebus illis: Aperiens Petrus os dixit ...

9. 1 Cor 10, 16-17: « Unus panis, unum corpus multi sumus ».
Fratres: Calicem benedictionis ...

10. 1 Cor 11, 23-26: « Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiatis ».
Fratres: Ego accepi a Domino ...

11. Hebr 9, 11-15: « Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ».
Christus cum advenit Pontifex ...

Psalmi responsorii

12. Ps 22, 1-3a. 3b-4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

13. Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11.
℟. (9a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

14. Ps 77, 3 et 4bc. 23-24. 25. 54.
℟. (24b): Panem cæli dedit eis Dominus.

15. Ps 109, 1. 2. 3. 4.
℟. (4bc): Tu es sacerdos in æternum,
secundum ordinem Melchisedech.

16. Ps 115, 12-13. 15 et 16bc. 17-18.
℟. (13): Calicem salutaris accipiam,
et nomen Domini invocabo.

17. Ps 144, 10-11. 15-16. 17-18.
℟. (cf. 16): Aperis tu manum tuam, et satias nos.

18. Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20.
℟. (Io 6, 59b): Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Alleluia et Versus ante Evangelium

19. Io 6, 57: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo, dicit Dominus.

20. Io 6, 58: Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem,
et qui manducat me, et ipse vivet propter me, dicit Dominus.

21. Io 6, 35: Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam, dicit Dominus.

22. Io 6, 51-52: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi,
dicit Dominus:
si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Evangelia

23. Mc 14, 12-16. 22-26: « Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus ».
Primo die Azymorum, quando Pascha ...

24. Lc 9, 11b-17: « Manducaverunt et saturati sunt omnes ».
In illo tempore: Loquebatur Iesus turbis ...

25. Lc 24, 13-35: « Cognoverunt eum in fractione panis ».
In illo tempore: Ecce duo ex discipulis Iesu ibant ...

26. Io 6, 1-15: « Distribuit discumbentibus quantum volebant ».
In illo tempore: Abiit Iesus trans mare ...

27. Io 6, 24-35: « Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam ».
In illo tempore: Cum vidisset turba quia Iesus non esset ibi ...

28. Io 6, 41-52a: « Ego sum panis vivus qui de cælo descendi ».
In illo tempore: Murmurabant Iudæi de Iesu ...

29. Io 6, 51-59: « Caro mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus ».
In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Ego sum ...

30. Io 21, 1-14: « Iesus accipit panem et dat eis ».
In illo tempore: Manifestavit se iterum Iesus discipulis ...

III.

Pro admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum

Lectiones e Vetere Testamento

1. Deut 1, 9-14: « Date ex vobis viros sapientes et ponam eos vobis principes ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo: Dixi vobis: Non possum ...

2. Ier 1, 4-8: « Ad omnia quæ mittam te ibis ».
Factum est verbum Domini ad me ...

3. Sir 39, 1. 5-8: « Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum ».
Sapientiam omnium antiquorum ...

4. Is 6, 1-2a. 3-8: « Quem mittam? et quis ibit nobis? »
In anno, quo mortuus est ...

Lectiones e Novo Testamento

5. Act 14, 21-23: « Constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros ».
In diebus illis: Paulus et Barnabas reversi sunt Lystram ...

6. 1 Cor 9, 16-19. 22-23: « Væ mihi si non evangelizavero ».
Fratres: Si evangelizavero ...

7. 1 Cor 12, 4-11: « Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem ».
Fratres: Divisiones gratiarum sunt ...

8. 2 Tim 3, 10-12. 14-15 « Permane in his quæ didicisti ».
Carissime: Assecutus es ...

Psalmi responsorii

9. Ps 15, 1-2a et 5. 7-8. 11.
℟. (cf. 5a): Tu es, Domine, pars hereditatis meæ.

10. Ps 23, 1-2. 3-4ab. 5-6.
℟. (cf. 6): Hæc est generatio quærentium faciem tuam, Domine.

11. Ps 97, 1. 2-3ab. 3c-4. 5-6.
℟. (2b): In conspectu gentium revelavit Dominus iustitiam suam.

Alleluia et Versus ante Evangelium

12. Mc 1, 17: Venite post me, dicit Dominus,
et faciam vos fieri piscatores hominum.

13. Lc 4, 18-19: Evangelizare pauperibus misit me Dominus,
prædicare captivis remissionem.

14. Io 12, 26a: Si quis mihi ministrat, me sequatur, dicit Dominus;
ut ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Evangelia

15. Mt 9, 35-38: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam ».
In illo tempore: Circumibat Iesus civitates omnes ...

16. Mc 1, 14-20: « Faciam vos fieri piscatores hominum ».
Postquam traditus est Ioannes, venit Iesus ...

17. Lc 5, 1-11: « In verbo tuo laxabo retia ».
In illo tempore: Cum turba urgeret in Iesum ...

18. Io 1, 35-42: « Ecce Agnus Dei. Invenimus Messiam ».
In illo tempore: Stabat Ioannes et ex discipulis eius duo ...

19. Io 1, 45-51: « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est ».
In illo tempore: Invenit Philippus Nathanael ...

INDEX